


05

A

984





262

Angelô increatô annuente,
De

ANGELIS,

publicè disputabunt

PRÆSES

M. THOMAS THEODORUS CRUSIUS,

Brand. Marchicus,

&

RESPONDENS

GEORGIUS Gölner/

Schleusingâ-Francus.

In Auditoriô Minori,

ad D. XXIV. Februar.

horis matutinis.

WITTEBERGÆ,

In Officinâ Fincelianâ excudebar Michael Meyer, Anno 1669.



05 A 984

I. N. I. A.

SECTIO I.

DOGMATICA,

Thef. 1.

PUlchrè & appositè Philosophorum
Homerus (*ita enim ipsum vocat Lansf. in Cons. p. 5.*)
Plato in *Cratilo*: Oportet prius vocis ipsius u-
sum cognoscere qvo scèpè numero provehimur
in rei perceptionem: Nihil enim disci potest utili-
ter, nisi cognito prius eo, qvo sine nihil disertur. Oc-
cupamur in rebus & nominibus: necessaria cognitio
rerum ex se est: nominum propter res. Hæc antecedit:
illa seqvatur: Principium doctrinæ est vocum contem-
platio, Disciplinæ fundamentum est certa verborum
cognitio, si integrum & constans fundamentum du-
rabit contra omnes impetus qvod superstruitur: Eru-
endus igitur vocis significatus nominalis est, juxta
qvem Angelus secundum Erymologiam, Homony-
miam & Synonymiam pensitandus venit.

§. 2. Est autem Angelus vocabulum græcum, &
denotans juxta Theologos proprie legatum s. nunci-
um, ἀπὸ τῆς ἀγγέλλειν, qvod annunciare importat: Est
igitur vocabulum officij non naturæ, unde recte *Augu-
stin. in Enarr. Ps. CIV, T. 8. C. 1282. & in Tract. de eo qvod
dictum est à Deo ad Moysen ego sum qvi sum T. VI. C. 871.
cit B. Gerb. in Diss. Isag. p. m. 490. §. 1. Qvaris hujus na-
turæ nomen spiritus est, qvaris officium? Angelus est:
suffragatur *Ambr. in c. 1. Ep. ad Ebraeos T. 5. p. 426. A.
qvādo inquit Angelus ex eo qvod est. Spiritus est ex eo qvod
agit,**

agit, est angelus quia Angelus graece, nuncius Latine interpretatur, sicut homo natura nomen, miles vero nomen officii est, sic qui erant spiritus conditi à Creatore Deo, fecit Angelos mittendo eos, nunciare, quod iussit. Spiritus enim hi, licet non semper in annunciando deprehendantur, ea tamen de causa à Spiritu infinito Deo T. O. M. sunt conditi, ut suae voluntatis liberissima placita hominibus annuncient. Est itaque Angelus vi vocis nihil aliud quam Nuncius.

§. 3. Estque ex hac notatione sumpta ambiguitas quæ est in voce Angeli ut quemvis inter nuncium significet, hinc si ex Scriptura S. huius vocis significata petere liceret, deprehenderetur quod. (1.) ipsum filium Dei significaret, quæ scripturæ loca præ cæteris diligenter collegit B. König. in Theol. Posit. Loc. de Angelis p. 45. §. 71. Causas vero huius adpellationis & ex quibus iudiciis colligi possit vocem Angeli pro Angelo increato supponere latius deducit ex Patribus Theodoretus quest. 91. in Gen. ex nostris B. Gerb. in Disp. Isagog. Disp. 12. p. 491. §. 4. 5. ubi ex patribus Justinum & Athanasium eandem rem tractantes citat. (2.) etiam Scriptura per hoc vocabulū omnes Ecclesiæ Doctores denotat, loca vid apud Gerb. d. l. Scheibl. in Met. p. 378. Nobis autem in præfens vox angeli, significat spiritum aliquem creatum ac completum; quæ significatio licet non adeo curate vocis originationi respondeat, consuetæ tamen ejusdem usurpationi maxime consentanea est.

§. 4. Synonymiam quod concernit, varia sortitur Angelus Synonyma Gentiles & inde Philosophi vocant eos frequenter intelligentias & Mentes ob modū putæ cognoscendi, quia omnia intelligēdo cognoscunt;

scunt: Deus & homo licet etiã intelligant, nõ tamẽ tam
frequenter quã Angeli intelligentiã dicuntur: Ille e-
nim ob consuetã vocis intelligentiã usurpationem tali
nomine à nobis non salutatur. Præ hominibus vocem
intelligentiã Angelis tribui ob eam forsã fit rationẽ,
quod angeli quãlibet cognoscant ac intelligendo
adprehendant; id quod de hominibus cave dixeris,
quippe qui & sensibus tum externis ut auditu, tactu
olfactu; tum internis ut sensu communi & Phantasia
cognoscunt: Eodem se se res habet modo cum anima
separata, quæ quantumvis omnia intelligendo co-
gnoscat, habet tamen adhuc potentias naturales,
quibus mediantibus absque intellectu operã cogno-
scere potest. De quibus potentiis vid. *Excell. Dn Wal-*
ttherus Præceptor omniobservantiã devenerandus in Disp.
de Potentiis, quibus anima gaudet in statu separationis.
Græce dicuntur *δαίμονες* quali *δαίμονες* ob luminã, quã
pollent, prudentiam in ordine ad res creatas. An verò
hoc synonymum tum Bonis tum malis Angelis
competat, latè disputat *Augustin. lib. 9. de C. D. c. 19.*
quo B. L. remittimus.

§. 5. Absolutã nunc sic definitione *ὄνομαζωδης*
(plura enim qui desiderat, adeat ex Schol. *Greg. de Va-*
lent. T. 1. Disp. 4. q. 1. p. 1. ex Calv. Danaum part. 3. Isag.
c. 2. § 26.) reliquum erit ut definitiva explicatione
(laxius sumto vocabulo) eorundem naturam ad um-
bremus; sit itaque definitio Angelorum hæc: Angeli
sunt spiritus finiti compleri: Duo in hac ut & in omni
definitione pensandi sunt conceptus. conceptus nim,
contrahibilis & conceptus contrahens. Illum dupli-
cem constituimus, alterum remotum, alterum proxi-
mum; conceptus contrahibilis remotus exhibetur

A 3

VOCE

voce spiritus, in quo Angelus unà cum suis quasi con-
speciebus (ampliative sumpto termino) utpote Deo
& anima rationali convenit: Est enim Deus spiritus;
est Angelus spiritus, est quoque anima rationalis
spiritus. Proximus vero conceptus determinabilis in-
sinuatur per spiritum finitum: in hoc quippe angelus
& anima rationalis immediate ac sine intervallo
alterius alicujus conceptus convenit: Cum
primum prædicatum essentialiale, quod de Angelis, ani-
mabus quæ rationalibus formamus; sit spiritus fini-
tus. Differentiæ vero conceptus exprimitur per vo-
cem completi, per hanc enim rationem conceptus
convenientiæ spiritus sc. finitus ad certam spirituum
speciem constituendâ restringitur quasi ac limitatur.
Nemo vero autumat, ac si τὸ completū pro differen-
tia, in rigore Logico tali, Angelorum venditemus. Non
enim ignoramus duo abs Philosophis requiri ad quam-
libet differentiā: Constitutionem nim. & distinctio-
nem hanc quod spectat, τῷ completo ἀμφοῖν largimur
Etenim per τὸ completum Angelus à sua conspecie
anima puta rationali omnino distingvitur: Hanc
vero (constitutionem volo) eidem adjudicare non
possumus, quandoquidem tanquam membrum adfe-
ctionis disjunctæ à posteriori saltem & paronymicè
suum denominat subiectum, id quod tamen contra
rationem formalem differentiæ constitutivæ.

§. 6. Missis attributis tanquam essentialibus
consecutivis, & aliis forsan pluribus, quæ ad naturam
Angelorum facere possent (pagellarum enim ra-
tio ex observantia omnino habenda) ad nobilissimas
qvi-

quibus angeli pollent operationes accessum facimus. Non autem ex usu esse videtur quamlibet hic Angelorum operationem sub incudem vocare: internas potius, ut intellectionem & volitionem, atque non tam hanc, quam illam hac vice speculabimur. Non enim existimandum, hosce nobilissimos spiritus ad instar pecorum omni carere intellectu, præterquam enim quod sacer codex contrariū affatim testatur; novimus id etiam ex ipso naturæ fonte: Istæ enim operationes, per quas naturaliter in cognitionem Angelorum penetrare possumus satis clarè testantur principium intellectivum: quomodo autem hæc ipsa intellectio se se habeat, & ad quod se se extendat; quoniam inter Eruditos valdè de eò disceptatur, in jam jam subsequenti sectione, (si modò charta permittit) dispiciemus.

SECTIO. II. ELENCHICA.

I. An Angelorum existentia ex luminis naturalis evidentia hauriri possit.

Qua statum controversiæ obsi. (1. circa subjectum cum *Dn. D. Kestero in Exercitatione Natalitia habita Coburgi Anno 1624. n. 3. §. 1.* Angelos dari, colligere quidem rationem manifestius, bonos vero dari obscurius: quæritur in præsens de prioribus: Existentia verò Angelorū consideratur vel (1) ratione primæ originis h. e. quando angeli creati & esse inceperunt, de quo Theologi te informabūt, vel (2) præsentis actō, secundū quem formaliter jam sunt extra potentiam objectivā
ut

(ut loquuntur *Scholastici*) h. e. an Angeli jam de facto dentur de quo quaeritur. Prædic. vero quod attinet not. (II. quod solliciti sumus in præfēs non de actuali angelorum cognitione, quæ eosdem dari cognoscimus: hanc enim ex libro scripturæ (utpote quæ cognoscendi ratio & efficacior & expeditior est (interdum provenire non ambigimus, sed potius nosmet ipsi adserimus: sed de aptitudinali seu sed cognoscibilitate, quæ quippe angeli apti nati sunt ad cognoscendum.

Obf. [III. Nos non diffiteri à priori quidem nullum efficax argumentum facile posse produci, quod unacum existendi possibilitate ipsam existentiam evincat: fateri tamē necesse quævis habere, à posteriori argumentis firmioribus eandem concludere posse; Etenim & illa demonstratio omnino valida censenda est, quæ ex effectu evincit causam, præprimis si ille effectus immediatus & ad æqvatus fuerit, atq; adeo cum sua causa cohæserit, quod concludendi genus ex *Dionysio* viam causalitatis vulgo adpellant *Scholastici*. De quò vid. Famigerat. Dn. Walther. in sua Logica part. 3. sect. 1. cap. 9. pag. 5.

His nunc ita se se habentibus omninò existimamus Intelligentiarum s. angelorum existentiam ex luminis naturalis evidentia hauriri posse: Ubi quidem nihil quicquam juvat ratio; quæ nonnulli concludere fatagunt Angelorum existentiam ex naturæ lumine innotescere ideo, quod & gentilibus cognitum atque exploratum fuerit, dari Angelos: cujus consequentiæ inconsequentiam arguunt omnes, quotquot hæcenus adverterunt, ad Ethnicorum notitiam multa pervenisse, quæ in Pentatevcho leguntur. Innotuerunt
sane

sane ex codice sacro Ethnicis tum mundi & humani
 generis origo, quam non latuisse Gentiles testis est.
 omnigenæ sapientiæ $\omega\lambda\gamma\tau\theta$ (sic enim Ebelio
in Herm. Log. pag. 64. audit) Plutarchus de Dogm.
Philosoph. & Psychogonia: Quidam, ait, Plaonis alio-
 quin studiosi torquent omnibus modis verba ejus, ut
 creationem mundi & animæ negare temporisq; æter-
 nitatem adseverare videatur. tum Diluvium s. univer-
 salis terræ inundatio; cujus frequens mentio occurrit
 apud *Ægyptios, Græcos, Phænices & Romanos*, licet histo-
 riam illam variis maculaverint nugis & in seculum lon-
 ge posterius retulerint, exemplo *Thebanorum* qui *Ogy-
 gii, & Theffalorum*, qui *Deucalionis* ætati illud adsigna-
 runt: *Vid. B. Dn. D. Gerb. in Comment. in Genes. p. m. 207.*
 tū *Isaaci* immolatio, qua tentationis tantum gratia di-
 vinitus mandata Gentiles abusi sunt, ut humanas victi-
 mas suis Deastris obtulerint; *Vid. Natal. Comes l. 1. My-
 thol. c. XVI.* tum *Leges Mosaicæ*; quarum mentio non
 infrequens ap. *Justin. in Cohort. ad Græcos*, quem admo-
 dum *Diodorus Siculus* autor est; idemq; *Justinus*
Mosen antiquissimis & Celeberrimis Legislatores
 præfert; tum non pauca ex Schola sacrificiali; quod ri-
 tuū similitudo $\pi\rho\delta\varsigma\ \omicron\mu\mu\alpha$ demonstrat. Vestitum & orna-
 tum conformē lege ap. *Polyd. Verg. l. 4. de Inventrerum c.*
13. quoad victimas $\kappa\alpha\kappa\omicron\zeta\eta\lambda\iota\alpha$ Gentiles eò adigit, ut He-
 catombas excogitarint, de quibus *Calium | Rhodigin.*
l. 20. Antiq. lect. c. 8. legas. Plura hac de re videas ap.
Dn. D. Aegidium Hunn. T. 1. Tr. de Majest. Scriptura p. 39.
Dn. D. Franz. Tr. de interpret. Scriptura or. 12. Dn. D. Wal-
tber. in Officin. Sacr. repos. posteriori §. 667. §. 745. Magnif.
Dn. D. SELDIUM, Patronum nostrum nunquam non sum-

B

MA

ma cum honoris & observantia praefatione nominandum,
submissegz colendum in *Diatr. Philosoph. de Angelis* sect. 2.
Theor. I. §. 1. Ex quibus abunde patet, non statim illud
natura notum esse, quod Gentilibus notum fuit, sicut
incaute ratiocinari videtur *Zyvinger. in Theatr. V. Hum.*
vol. 5. l. 4. f. 131. *Ketkerm. in Syst. Th. c. 1. Phil. Mornaus* (ar-
tificiosissimus scrinii *Augustini Steuchi* expilator) *cap. 5.*
de Verit. Relig. Christiana, qui alias *Vedelio l. 2. c. 11. Rat.*
Theol. p. m. 277. incomparabilis audit vir. Nec adeo
stringere videtur illorum ratio, qui ab Angelorum pos-
sibilitate eorundem actualitatem inferunt; in quo-
rum numero etiam deprehenditur *Non nemo l. 2. Met.*
6. 4. art. 2. n. 6. p. 379. secutus *Svarez. Disp. 35. sect. 1. p. m. 272.*
n. 3. l. d. Nam ut taceam plurima possibilia esse quae ta-
men in rerum natura de facto non dantur nec dabun-
tur, sibi met ipsi philosophus constare non videtur
quādo *l. 2. Met. c. 3. art. 3. n. 601. p. 312.* inquit. *Cum Deus fecerit*
species plures sub genere plantarum & specialibus sub
genere herbarum l. arborum species etiam plurimas sub
genere bestiarum & specialius sub genere avium & pisci-
um v. g. cur non possit etiam species multiplicare sub gene-
re naturae intellectualis, ubi nunc de facto duae solum dan-
tur angeli sc. & homines, supponendo, quod angeli nō specie
sed numero differant. Haec verba quomodo cum ea ra-
tione, quā in praesenti negotio utitur, conciliari pos-
sint, adsequi ego non valeo. Opponimus etiam *κατ'*
ἀποκρίσιν philosophum acutissimum (ita enim fert *Ti-*
tinus in Metaphys. praefixus) *Ebel. in Aph. Metaph. Disp.*
16. p. 242. §. 6. Otia ergo hic nobis fecit, dum socium suū
confutavit, ut ea opera supersedere queamus. Nec
adprobamus illorum sententiam, qui à perfectione
mun-

mundi actualitatem Angelorum colligere satagunt, ad
eam enim (perfectionem puta) Angelos pertinere di-
cunt, autumantes mundum jam perfectum omnia,
quæ ad ejusdem perfectionem spectant, habere debe-
re, & per consequens Angelos in eodem existere neces-
sum esse. Hanc, inquam, sententiam non ad proba-
mus, committitur enim manifesta principii petitio,
hoc enim adhuc controversum est, an Angeli ad
mundi perfectionem pertineant undè enim probabi-
tur angelos ad complementum mundi perti-
nere? forsan ab ipsorum possibilitate, & sic Gryphus,
purgatorium & plurima alia in rerum natura possibi-
lia de facto nō existentia, dabuntur. Videndum igitur,
num fortiori præsidio muniri possit nostra sententia;
quo de haud facile desperaverit, quisquis secum repu-
tat operationes & effectus, qui in arreptitiis & obsessis
deprehenduntur, ab his enim fiunt multa, quæ ad nul-
lam aliam virtutem referri possunt quam ad faculta-
tem sc. ἐνέργειαν superiorum intelligentiarum. Nume-
rant Nostrates Theologi inter κερτήρια & characteres
corporaliter obsessorum linguarum exoticarum, quas
obsessi nunquam antea didicerunt, nec liberati ampli-
us norunt, scientiam vid. D. Bald. CC. p. 617. B. Gerb. Disp.
Isag. p. 61. §. 12. Broehm. T. 1. System. p. m. 109. Edit. in. fol. B.
Dorfschaum summum illum Theologum in Dissertatione de
horrendâ & miserâ Satanae obsessione sect. 1. q. 3. 4. 5. §. 15.
citantem pro se Hieron. in vita Hilariionis. Tiræum p.
1. c. 24. p. 65. Wierum de prestig. Dem. 1. 4. c. 28. p. 473. Ejus
successorem Dn. D. König. in Theol. posit. Loc. de obsess.
Spiritu & corpor. §. 232. p. m. 53. Dn. D. Danbavv. in Scheide
und Absag. Brieff/ part. 1. p. m. 134. Hinc ita colligo:

Notitia illa lingvæ peregrinæ & locutio de re incognita est à spiritu aut incompleto s. anima rationali aut completo. Sin illud erit ab anima aut unita s. ipsius obsessi, quod falsum, quia in obsessis idiotis præsupponitur iguorantia tum lingvarum peregrinarum tum rerum prolatarū; aut à separata s. alterius defuncti hominis, quod similiter improbabile, tum ob defectum omnis rationis, tum ob experientiam, quæ testatur tot lingvis obsessos sæpius loqui, quot uni separatæ animæ vix possint concedi, tum ob *αυτοψίαν* de familiaribus, ut vocant, spiritibus, qui sæpe talia edunt opera, quæ omnem virtutem humanam longe excedunt: vid. de illis *Tritbemius in Steganographia: Plutarchus de ingen. Socrat. p. 589. Keckerm. in præcogn. philosoph. l. 1. p. 127. Alex. ab Alexandro: l. 2. c. 19. Wier. de præst. Dam. Jac. Renec. in Cl. Scriptura l. 2. p. 299. Eckh. Chr. Relig. p. 119.* Sin hoc erit à spiritu aut increato s. Deo aut creato s. angelo h. e. natura spirituali, mediante inter Deum & animam rationalem. Prius non est, hujus enim sanctitas & veracitas eum ab omni mendacii & blasphemix labe ac suspicione absolvit. E. posterius *ὄπερ ἑδὲ θεῶν*. Fortius adhuc videtur constringere Adversarios ratio ab Idolorum operationibus deprompta (vid. ex nostratibus Theologis *Dn. D. Bald. in C. C. l. 3. c. 7.*) Idola n. sæpius tales produxerunt operationes, quas ratio nulli nisi spiritui completo adscribere potis est. Nam locutiones, quas idola promulgarunt, aut provenerunt à spiritu infinito, à finito: non autē ab Illo, ut enim jam taceam maximum in Idola Dei odium; sæpius ejusmodi locutiones cum summa in Ens infinitum blasphemix fuerunt conjunctissimæ; nunc autem nihil agit in semet-

semet ipsum nisi salvative : si nunc à finito aut iterum à completo aut incompleto ; non autem ab incompleto, quoniam naturâ constat, animam rationalem tanquam incompletum spiritum non edere locutiones, nisi per membra à se ipsa efformata ; anima enim rationalis est forma communi suffragio, nulla autem forma actiones edere potest materiales, nisi per instrumenta materialia, quæ sibi ipsi fabricavit : sic gratia exempli anima rationalis est in pede, quod verò pes non loqui possit, ex eo provenit, quod pes non sit instrumentum ab anima ad loquendum elaboratum : Embryo delitescens adhuc in utero materno nec loqui nec audire potest, quoniam adhuc destituitur debitis organis & membris : Imo tanta operationum formæ necessitudo est cum materia, ut non tantum postulet organa, sed etiam organa recte disposita & elaborata ; id quod perspicuum est in homine, cui oculi sunt effossi, ille ob animam rationalem potentiam videndi habet perfectissimam ; quod a. hæc in actum traduci nequeat, in habitudo membrorum causa est : E. à completo : id quod erat demonstrandum. Luce etiam dignum est exemplum seductionis in Paradyso à Diabolo factæ. Hæc sane seductio Deo adscribi nequit cum ipsius sanctissimæ voluntati è diametro sit contraria : neque etiam animæ separatae ; quoniam tum temporis nulla omnino extitit : neque etiam serpenti, nisi cum fabulis loquelâ brutis tribuere velimus : potuit igitur Adamus vi iudicii naturalis facile colligere tertium omnino inter Deum & animam rationalem dari spiritum. Adjicere possemus plura alia probationum genera, nisi de industria brevitati studere esset animus. Pl. qui desiderat : adeat *Svaretz. Disp. Met. 35. sect. 1.* 'ANTI-

Angeli in tanta probationum luce & cumulo nihilominus non nullorum est, & quod mireris inveniuntur non pauci; qui omninò tò an sit Angelorum, expresse negant. De Sadducæis memoratur, quod nec resurrectionem, nec Angelum nec Spiritum crediderint, præter scripturam enim (Act. XXIII. 8.) hunc errorem in illis notant. *B. Gerb. Diss. Isag. p. 497. §. 1. Dn. D. Röber in Comment. in 2. Petri p. 47.* (in quo Commēt. respondit pro Licentia Excell. *Dn. D. Wendl. præceptor submisse devenerandus*) *Scharp. in Sympbon. Epochal. q. 4. Sixtus senens. l. 12. Biblioth. sanct. voce Traditiones, Scalliger. Drusius & alii.* Superiore seculo eundem errorem ex orco revocarunt *Anabaptistæ & Libertini*, qui referente *Dn. D. Chemnitio part. 1. Locor. p. m. 323. & B. Röbero d. l. p. 48.* docuerunt non esse peculiare Creaturas, quæ vocentur Angeli, d. si quando Deus exerat suam potentiam ad nocendum l. puniendū, hoc vocari malum angelum, & contra bonum Angelum appellari, si quando Deus nos custodiat ac conservet: id quod de Libertinis à pud *Calvinum contra ipsos c. II. & 12. legas*: huc etiam referunt nostrates Theologi (vid. *B. Gerd. Diss. Isag. p. 504.*) *Hermannum quendam Risvich* (l. ut alii volunt *Risnich*) qui negavit Angelos creatos esse, quod Scriptura hoc non testetur: ubi obiter notanda insignis impudentia *Gregorii Ederi*, qui in *Babylonia hereticorum* hujus erroris insinulat nostrates Theologos: *Eodem argumento inquit, et hodie Lutherani & Calvinistæ rejiciunt, quicquid in scripturis non satis expresse continetur*: At verò, *Edere*, ut taceam Papas vestros, quorum quidam ne Deum quidem, non dicam, Angelos crediderunt. Quis Lutheranorum sic sensit, sic somniavit unquam? Didicerunt enim

illi

illi ex Nazianz. l. 5. de Theol. in scripturis divinis conti-
neri quædam implicite quædam explicite. vid. Dn. D.
Kestl. in Disp. de Allegat. Dict. V. T. in N. t. b. 4. D. Finck.
cent. 1. Can. 1. p. 1. Cent. 3. p. 13. Can. 7. Cent. 2. p. 32. Can.
39. nobis hac in re luxuriari non allubescit; proficu-
um erit hac in re ad sociare Theologum insignem
Gamalieleum & alterum Parentem nostrum ter gemino
observantia filialis cultu maclandum Dn. D. Job. Cbr.
SELDIUM part. 2. Anti Marcell. p. 340. Disceptatur
autem inter scriptores non tantum Tôan sit h. e. u-
trum probari possit existentia, sed etiam Modus pro-
baudi, an possit concludi apodicticè, an vero tantum
probabiliter Disputat. Thomas part. 1. q. 50. art. 1. & ex
eo Becanus Jesuita in Tr. de Angelis: c. 1. q. 1. non posse da-
re evidentem aliquam rationem, quæ probet Angelos
aliquos existere in rerum natura: Greg. de Valentia
T. 1. Disp. 4. q. 1. punct. 1. satis liberalis est, dum conce-
dit, non posse demonstrari Angelos esse, sed tantum
rationibus probabilibus svaderi, quas Thomas adfert
Lib. II. contra Gentes cap. 46. Minus liberalis videtur
esse Pererius in Comment. ad Gen. l. v. 14. 15. q. 5. hic
sibi persuadet medium concludendi (Angelos esse)
esse motum calorum: Hoc qui negat, inquit, cœ-
los moveri ab Angelis, nullam profecto viam & ratio-
nem Philosophicâ reliquam facit, si enim motus cœli
non est adfectus Angeli, quæ alia potest adferri e-
jus actio vel effectus naturalis, vel sensus l. rationis ju-
dicio nobis manifestus & compertus. Aperte sic con-
tradicens Suarez: Disp. 35. Met. sect. 1. qui alias firmi-
ores, tutiores, & certiores rationes in promptu habet:
ita nimirum sibi constat Spiritus vertiginis!

vid

Ἀνάλυσις Restat nunc ut paucis consideremus
fundamenta, quibus illi, contra quos disputamus, po-
tissimum innituntur: excipit contra probationem no-
stram primam *Levinus Lemn. l. 2. de occ. nat. mir. p. 141.*
*Melancholicos & phreneticos ex frequentissima humo-
rum ebullitione & vehementi Spirituum exagitatione*
posse variis linguis loqui; quamvis antè earum nullam
norint: ad quod dubium Resp. Garassus in pecul. lib.
decuriosa doctrina, ita, ut risu potius & contemptu,
quàm solutione dignam judicaret hanc exceptionem.
Nam si omnino istius impressio aliquid efficeret, non
articulatae dictionis sed potius inarticulati soni cau-
sa foret, & quomodo quæso quippiam potest esse
in ore, quod non fuit in intellectu.
Plura reservamus conflictui.

C*Rufus Angelicas mentes dum differit,*
adsit
ANGELUS *his studiis fœderis ipse*
novi,

vovebat

Abraham Calovius, D.



05 A 984


3

ULB Halle
003 777 43X



Worm





262

Angelô increatô annuente,
De
ANGELIS,
publicè disputabunt
PRÆSES
M. THOMAS THEODORUS CRUSIUS,
Brand. Marchicus,
&
RESPONDENS
GEORGIUS Gölner/
Schleusingâ Francus.
In Auditoriô Minori,
ad D. XXIV. Februar.
horis matutinis.

WITTEBERGÆ,
In Officinâ Fincelianâ excudebar Michael Meyer, Anno 1669.